



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,
Librosque undecim complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput II. Peccatum orginale non est unicum Adæ peccatum, posteris
extrinsecum, seu extrinsecè imputatum, sed singulis proprium, &
intrinsecè inhærens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73187)

serioribus angelis, sine sine supplicium.

4 3^o. ex Psal. 50. ubi peccatum originale vocatur iniquitas: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* In Hebræo (teste D. Hieronymo) id non exprimitur numero plurali, sed singulari, *in iniquitate, in peccato.*

5 Nec hoc hæretici convenienter exponunt de iniquitate parentum, non infantium. Tum quia Psalmista non potuit absque temeritate tribuere iniquitatem parentibus per actum conjugalem ipsum concipientibus. Tum quia parentum iniquitas, si qua fuisset, Psalmistam non obligasset ad petendam veniam peccatorum suorum, clamando *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. . . . quoniam iniquitatem meam (non dicit parentum) ego cognosco. . . . Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, &c.*

6 4^o. Augustinus variis locis urget etiam Apostoli verba 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus.* Unde l. 6. contra Julianum, *Nega (inquit) Christum etiam pro parvulis mortuum, ut excimas eos de numero mortuorum, hoc est de contagio peccatorum.*

7 Objicies 1^o. Rationis & voluntatis usum non habens, non peccat ille qui nascitur; non peccat ille qui genuit; non peccat qui condidit. *Per quas igitur rimas, inter tot præsidia innocentia, peccatum singis ingressum?* ait Julianus Pelagianus apud Augustinum l. 2. de nupt. & concupisc. c. 28.

Respondet Augustinus ibidem: *Quid queris latentem rimam, ubi habes apertissimam januam? Per unum hominem (ait Apostolus) peccatum intravit in mundum.*

8 Objicies 2^o. Omne peccatum verè ac propriè dictum esse debet voluntarium. Atqui peccatum originale parvulis materno in utero conceptis non est voluntarium.

Respondeo, licèt ipsis voluntarium non sit voluntate propriâ, seu personali; voluntarium est voluntate originali, seu capitali primi parentis.

9 Instabis: intelligi non potest, quòd voluntarium voluntate originali primi parentis hominum sufficiat ad hoc ut hoc verè & propriè peccatores efficiantur, qui nondum existebant, dum primus parens hominum prævaricari voluit legem Dei.

Ad id utcumque explicandum nonnullæ quidem similitudines adduci possunt; sed quia illæ minus satisfaciunt, melius est cum Augustino ingenuè fateri, id quidem valdè difficulter intelligi; sed non idèò posse negari. Quia justum est captivare intellectum in obsequium fidei, etiam dum revelata veritas à nobis non potest comprehendi. Et idèò Augustinus l. de morib. Eccles. c. 22. fatetur quidem peccato originali . . . nihil ad intelligendum difficilium. Juliano tamen importunè sciscitanti, quomodo modo culpa originalis

transfunderetur, optimè respondet: *Quid à me queris quo sit factum modo; cum factum constet aliquo modo, si Apostolo credis ullo modo, qui mentiri potuit nullo modo?*

CAPUT II.

Peccatum originale non est unicum Adæ peccatum, posteris extrinsecum, seu extrinsecè imputatum, sed singulis proprium, & intrinsecè inherens.

EST de fide. Quia Tridentinum sess. 5. tria 10 Edefinit de peccato originali, cum quibus contraria Alberti Pighii assertio non consistit. Primò Adæ prævaricationem ipsi soli non nocuisse; sed & ejus propagini, acceptamque à Deo sanctitatem & justiciam, quam perdidit, non sibi soli, sed nobis etiam perdidisse, & inquinatum illum per inobedientia peccatum, non mortem & penas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, sed & peccatum, quod est pars anime. Secundò, hoc Adæ peccatum, quod est origine unum, propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inesse unicuique proprium. Tertio, quod per Jesu Christi gratiam, qua in baptisate confertur, reatus originalis peccati remittitur, & tollitur totum id quod veram & propriam peccati rationem habet. Unde anathema dicit ei, qui dixerit illud tantum radi, aut non imputari.

CAPUT III.

Natura peccati originalis.

IN quo consistat natura peccati originalis, 11 Tridentinum non definivit, sed Theologis determinandum reliquit, uti testantur Tiletanus (qui Tridentino interfuit) in Apologia pro Concilio Tridentino, & Cardinalis Pallavicinus in Historia ejusdem Concilii l. 7. cap. 10. n. 8. ubi sic: *Legati (id est Concilii Præfides) admonuerunt, ne quid certi statuerent de natura ipsa originalis culpa, de qua Scholastici discordant.*

Ceterum etsi hac de re Tridentini Patres 12 nihil definierint, velut fide certum, de ea tamen differuerunt in Congregatione Generali 21. Maii 1546. & seqq. ut videre licet apud Pallavicinum ibidem c. 8. Et de ea quidem Reverendissimus D. Angelus Paschalis, Dominicanus, Motulapensis Episcopus, non sententiâ modò, sed verbis S. Thomæ productis ita (optimè ut mihi videtur) differuisse narratur ab eodem: *“ non aliunde meliùs declarari posse naturam originalis noxæ, sicut & “ cujusvis defectûs, quàm à natura perfectionis “ oppositæ: prout exempli gratiâ, ut intelliga- “ tur quidnam sit cæcitas, opus est intelligas, “ quid sit videndi facultas. Esse peccatum ori- “ ginale vacuitatem quamdam, oppositam illi “ perfectioni, quæ Adamum innocentem con- “ decorabat, & justitia originalis nuncupatur. “ Oportere*